



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXIX. Vtrum prouidentia Dei purè naturalis possit esse specialiter gratiosa
erga aliquos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

beat solum dictamen necessarium Sapientiae Dei, vt dictum est supra, & paulò post distinctius exponetur.

Art. 1. Ad 5. Posita incorruptibilitate inalterabili Cælorum, communis responsio eorum qui illam tuentur non recurrit ad Angelos, vt motuos quomodolibet pro libito corpora Cælestia; sed in iisdem corporibus ponit exigentiam intrinsecam ad vniõnem sui cum Angelis præcisè, vt motoribus in ordine ad locum, & similiter ponit in Angelis necessitatem inuitabilem libera eorum voluntate, vt moueant ea corpora, prout expedit ad conseruationem vniuersi, & ad directionem, & adiutorium causarum sublunarium iuxta earundem naturam. Quo cessat difficultas obiectiõnis.

Art. 2. Verum difficillimum mihi semper visum est, vt corpora Cælestia ex vna parte nullam habeant vim causatiuam motus localis, quo circumagantur in vtilitatem mundi inferioris, & consequenter, nec exigant immediatè eundem motum localem sui, ex alia verò parte exigant vniõnem Angelorum secum præcisè, vt localiter mouentium, & circumagentium. Difficillimum, inquam, semper visum est, quia, qui non appetit effectum ratione sui, non potest appetere causam ratione talis effectus præcisè. Qui enim non appetit calorem ratione sui, non potest appetere ignem præcisè, vt calefaciat, & sic de aliis eiusmodi. Ergo si Cæli idè non mouerentur localiter actiuitate sua, quia non appetunt eum motum ratione sui, sed omninò respiciunt tamquam inutilem sibi: fieri non posset, vt exigerent appetitu innato sibi intrinseco vniõnem sui cum Angelis præcisè, vt mouentibus localiter. Quapropter, tametsi ea respondendi ratio contemni non possit, sed plurimi reuerenter facienda sit, vtpotè auctorem habens D. Thomam, aliosque magnos Doctores; placet nihilominus indicare potiùs, ac tentare, quàm dare, & itabilire ex professo alium respondendi modum.

Art. 3. Cælos esse alterabiles, & inter alia, capaces condensationis, & rarefactionis, vsque adè efficacibus, & claris documentis ostendunt moderni astronomi, vt videatur non posse iam amplius id in dubium facile reuocari. Positis autem vicibus condensationis, & rarefactionis, & (quod ex eadem causa necessariò prouenit) emissionibus vaporum, & receptionibus pluiarum, aut influxuum quasi pluuialium, negari non potest motus localis cælorum ab eadem virtute ipsorum propria proueniens, à qua prouenit vtrique illa vicissitudo dispositionis eisdem intrinseca. Quia nequit corpus in eodem omninò loco consistere, quoad omnes suas partes, dum rarefit, & dum condensatur; emittit fursum partes sui, eisdem deinde relabentes recipit. Rursus posito, hac de causa, aliquo motu locali cælorum orto ab actiuitate ipsorum propria, & ab influxu mutuo aliorum in alia corpora cælestia, facile est credere, etsi forte non sit facile ad plenum ostendere, corpora cælestia eadem actiuitate ipsorum propria fortiri totum eum motum localem, quo circumaguntur defacto, & quo indigent corpora sublunaria, absque maiori indigentia impulsus, & directionis Angelorum, quàm sit in mari ad fluxum, & refluxum, quibus ordinatissimè perpetuo agitur, in ventis, & aliis eiusmodi. Habent itaque Cæli appetitum innatum, & leges suas sibi intrinsecas respectu motuum, quos peragunt, & respectu effectuum quos mediantibus illis producant. Verum de hac re alius erit dicendi locus.

Ad 6. Lex naturæ inducta necessitatis in Deum ad bonum vnicuique naturale, primitus, & tamquam in prima radice præexistit in dictamine simpliciter, & absolute necessario Sapientiae Dei iudicantis, vel ni-

hil omninò creandum esse, vel creandum esse in numero, pondere, & mensura, idèst cum proportionem, & ordine congruenti, quidquid creabitur. Huic legi conformatur necessariò determinatio libera Dei creandi aliquid, ita vt sit libera, quatenus est volitio creandi, sed non sit præterea specialiter libera, quatenus vult proportionem, & ordinem congruentem rerum, quarum existentiam liberè eligit. Istud porrò decretum liberum Dei est lex proxima, & immediata naturæ, cui necessariò parent res creatæ procedentes ab eodem decreto necessitate parendi realiter indistincta ab entitatibus ipsarum. Quæ proindè necessitas dicitur lex passiuæ naturæ essentialiter conformis legibus actiuis sapientiae necessariae, & decreti liberi Diuini, modo dicto. Dicitur etiam appetitus innatus eadem illa necessitas conformitatis cum vtraque lege actiua. Appetitus namque innatus, idèst, non directus ratione, quæ insit ipsi appetenti, dicitur talis relatè ad appetitum elicatum, & intellectualem eius, à quo dirigitur, & perducitur ad opus, finemque suum idem appetitus innatus, & entitas, cui ille insit. Ac demum eadem illa necessitas, & hic appetitus innatus sunt propriè, & sine metaphora proportio vnius entitatis cum alia entitate. Patet itaque ex his, quales sint, & quid sunt, & quòd omni vacent absurditate leges naturæ, quas inducit prouidentia Dei, & quibus eadem deuincitur, & quomodo deuinciatur. Patet insuper ex iis omnibus, quæ dicta sunt in hac quæstione circa necessitatem Dei ex suppositione, iunctis iis, quæ præmissa sunt quæstion. 20. circa indifferentiam absolutam Dei, quanti sit momenti vtrique hac doctrina, si attendatur D. Thomas l. 2. contra gent. c. 29. vbi præmissa vtrique ea assertionem, altera confirmata eodem illo in capite, altera confirmanda in capite 30. proximè sequenti, concludit sic: *Sic igitur excluditur duplex error, eorum scilicet, qui Diuinam potentiam limitantes, dicebant Deum non posse facere, nisi quæ fecit, quia sic facere debuit; & eorum, qui dicunt, quòd omnia sequuntur simplicem voluntatem eius absque aliqua ratione, vel querenda in rebus, vel assignanda.* Legatur vtrumque illud caput: vtrumque enim æquè efficaciter, & vtrumque efficacissimè, quantum quidem ego assequor, concludit intentum suum, & nostrum.



QVÆSTIO XXIX.

Vtrum prouidentia Dei purè naturalis possit esse specialiter gratiosa erga aliquos?



IDEVR erga neminem posse specialiter esse gratiosa, nisi prætergrediatur limites naturæ, & superinducatur prouidentia supernaturalis. 1. Quia, vt dicit D. Thomas in 4. distinct. 46. q. 1. art. 2. ad 1. quæst. in responsione ad 2. *Quòd Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiæ. Sed quòd aliqua natura producta ei attribuitur, quòd illi naturæ competat, hoc ad eius iustitiam pertinet, & contrarium eius iustitiæ repugnat.* Deus autem vt auctor naturalis id solum vnicuique attribuit, quod illius naturæ competit ex se. Ergo quidquid Deus præstat, vt prouisor rerum naturalis, præstat ex obligatione iustitiæ, & quidem tam strictæ, quàm significat idem, ibidem ad 2. quæst. *Dicendum quòd Deus se ipsum negaret, si creatura non conferret, quòd ei deberetur secundum suam dispositionem. Sic enim veritatem non seruaret in operum conditio-*

ne, vel gubernatione. Quod ipsum repetit in presenti quaest. 21. art. 4. c. Si quidem ergo tanta necessitate omnibus confert, quidquid eorum naturae competit, & quidquid fert eorum dispositio, atque hoc solum naturaliter conferre potest; nihil utique providentia Dei naturalis conferre cuiquam potest, in quo sit specialiter gratiosa, & liberalis; sed solum exercere potest gratiam creationis, quae est rebus omnibus creatis indiscriminatim communis.

2. Ideo est specialiter gratiosum, quod superadditur respectu aliquis, ultra ea, quae sunt omnibus communia, quia posset eidem negari suppositis iisdem, quae sunt omnibus communia: Providentia autem pure naturalis Dei nullam eiusmodi superadditionem facere potest. Quia omnibus necessario confert, quidquid est optimum inter ea, quae sunt unicuique connaturalia, ut constat ex quaest. praecedenti. Ergo nullus est locus speciali alicui gratiae, aut beneficio alicui peculiari intra ordinem naturae.

3. Quod quis obtineat à Deo proprietates naturales necessario consequentes ad naturam eius, non potest esse gratia specialis Dei: Ergo neque potest esse specialis gratia, quod consequatur aliquid aliud naturaliter possibile. Patet consequentia. Quia omnia naturaliter possible proveniunt cum tanta necessitate ex tota collectione causarum naturalium, quanta cum necessitate effluunt ex vnaquaque entitate proprietates naturales eiusdem. Confirmatur ex D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 1. ad 2. ubi praemisso duplici debito, altero secundum merita, altero secundum conditionem naturae, concludit sic. *Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito: Sed dona supernaturalia utroque debito carent, & ideo specialius sibi nomen gratiae vendicant.* Est igitur contra rationem doni naturalis, ut careat omni debito. Nullum igitur donum naturale specialiter gratiosum esse potest; aut aliter indebitum, quam per denominationem à creatione, quae est omnibus aequaliter indebita absolute, & secundum se.

Art. 1. Respondetur. Dubitari nequaquam potest, quin Deus, ut auctor naturalis, & per providentiam pure naturalem, nullaque inducta operatione supernaturali possit conferre, quibus voluerit, plura beneficia specialia, cum potestate, & plena libertate eadem eisdem negandi. Quod imprimis aperte colligitur ex precibus, & orationibus, quas omnes homines naturaliter fundunt ad Deum. Nec enim miracula à Deo postulant homines, aliudve genus operationis supernaturalis, quoties ab ipso petunt serenitatem tempore nimium pluvis, pluviam post nimiam siccitatem; aegrotantes bonam valetudinem; sobolem coniugati carentes herede; aliique alios prosperos praelij, navigationis, similesque penè innumeros eventus: Quorum nihil inutiliter, & stulte petitur à Deo; sed laudabiliter, ac utiliter, tametsi nihil supernaturalis petatur, vel quoad substantiam, vel quoad modum. Oratio autem est clarissima gratiae manifestatio; quod est familiare, idemque certissimum Augustini principium. *De Natura, & Gratia c. 16. epist. 95. & 107. & alibi persæpè.* Ergo Deus intra ordinem naturae, nullaque exercita operatione supernaturali, potest uti providentia specialiter gratiosa erga aliquos, superaddendo illis ea beneficia peculiariora, ad quae conferenda sollicitatur precibus mortalium, & quae proinde non sequuntur cum omnimoda necessitate ad donum creationis, ideoque sunt gratia aliquo modo specialis superaddita, cum nova libertate, ultra donum creationis, quod est omnibus commune; ideoque non ita debentur postulantis, sicut debetur gravibus motus deorsum, levibus motus sursum, calefactio existenti prope ignem.

Art. 2. Hoc idem colligitur clarè à posteriori. Quia

plures praerminent aliis quoad plura bona naturalia, & naturaliter obtenta; nec fieri naturaliter potest, ut non detur in humano genere huiusmodi inaequalitas bonorum naturalium. Necesse namque est, ut quidam dominantur, & alij subiant; quidam ex dominantibus nati gaudeant splendore natalium peculiari, eodemque alij careant nati ex vilioribus; quidam crasso sub aëre nati, & veruecum in patria crasum fortiantur ingenium, aut indolem duram; alij è contra mitiori expositi solis aspectui, ingenio, & indole eadant excellentes. Cuiusmodi innumera discrimina bonorum naturalium cernuntur in hominibus, nullo, aut vix vilo existente aequali alteri, quoad omnia. Quilibet autem excessus vnius individui praeter alio individuo eiusdem infimae speciei est gratia Dei specialis, & aliquo modo distincta à dono creationis. Quia quod contigit uni, potuit naturaliter contingere alteri, cui de facto negatum est; & similiter potuit negari, cui concessum est de facto; cum enim uterque supponatur esse eiusdem infimae speciei, neutri potest inesse exigentia innata, ratione cuius sibi deberetur discrimen ab alio excessum potius, quam depressum respectu eiusdem. Quod si neutri debetur excessus potius, quam inferioritas respectu alterius, ad liberam electionem, & gratiam Dei pertinet, ut cui voluerit, conferat excessum, id est, gratiam peculiarem, utque eandem neget alteri. Unde etiam in ordine naturali, locum habet illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. 7. *Quis se discernit?* Ad Deum namque pertinet omnis iudicium perfectum, & melioratio vnius ab alio, non solum quoad bona supernaturalia, sed etiam quoad bona naturalia, cum nemini secundum se praecise insit ius ad praerelationem respectu aequalis in natura. Quapropter tot existunt testimonia providentiae Dei specialiter gratiosa erga aliquos intra limites naturae, quot existunt eiusmodi discrimina, & disparitates inter homines, quae sunt penè infinita. Nec enim subtrahi Deo potest, tamquam causa, & prouisorio vniuersali, determinatio eorum, quae ex se sunt indeterminata, & indifferentia, quoad ea omnia, quoad quae indeterminata, & indifferentia sunt.

Art. 3. Fons, & origo adequata omnium eiusmodi gratiarum, & beneficiorum specialium intra ordinem naturae sunt, locus, & tempus, vbiatio, & duratio. Vnumquodlibet enim ens creatum est ex se indifferens ad omnem locum, & ad omne tempus in quo, & pro quo existit, aut existere naturaliter potest aliquid aliud eiusdem infimae speciei, & ex utriusque, aut alterutrius delectu ad Deum pertinente proveniunt omnes aliae differentiae quoad omnem excessum, & inferioritatem vniuscuiusvis, respectu cuiusvis alterius, quoad omnia bona naturalia, quatenus naturaliter consequibilia, Nempè quod huic determinate individuo contigerint bona indoles, acumen ingenij, pulchritudo, valida vires corporis, nobile natalitium, salubris aër, & alimenta salubria, liberalis, ac proba educatio, aliaque similia naturae dona, proveniunt vnicè ex providentia Dei naturali eligenti eius animae creationem, & unionem ad corpus eo tempore, eo loco, vbi, & quando aderant causae naturales omnium eorum bonorum, cum potuisset idem individuum addicere tempori, & loco, vbi, & quando non adessent causae eorundem bonorum, & adessent omnes causae contrariae. Patet igitur providentiae Dei pure naturali aditus ad innumera beneficia, & gratias speciales respectu cuiusvis individui ex libero delectu temporis, & loci pro generatione cuiusque.

Art. 4. Verum nondum apparet aditus orationibus opportunè ab vnoquoque fundendis ad Deum, ut auctorem naturalem. Quia nemo orare potuit, antequam nasceretur, & in natiuitate nactus est determinatum locum, & tempus, ex quorum determinatione

tione pendet determinatio ceterorum omnium naturaliter possibilem, atque inter alia, determinatio vltioris durationis, omniumque vbiacionum, quas quisque acquirere de nouo potest. Omnia enim eiusmodi proueniunt ex causis praexistentibus cum determinato appetitu ad determinatos effectus, & quae proueniunt ex libera hominis electione non videntur subesse prouidentiae Dei, vt auctoris naturalis, nisi quatenus exponenti vnumquemque hominem tali determinato occurrui causarum naturalium excitantium necessarii tales determinate cogitationes, & tales subinde determinate simplices complacentias; vnde si tota series causarum naturalium libertatis expertum pendet, respectu cuiusque, ex sola libera electione temporis, & loci, respectu natiuitatis, nulla supererit materia idonea orationis, & precum ad Deum, vt auctorem naturalem, circa quam vnusquisque orare possit. Quod planè est absurdum, vt initio praemissum est.

Art. 5. Considerandum itaque praeterea est, in assidua agitatione, & motu locali corporum ex condensatione, & rarefactione superuenientibus de nouo, & ex impulsu aliorum in alia corpora, occurrere naturaliter plures opportunitates liberae electionis Diuinae, vt complures causas, vel applicet profuturas, vel abigat nocendi vi praeditas respectu cuiusque, dirigendo vniuscuiusque causae motum in vnam potius partem, quam in aliam. Saepe enim contingit, vt corpus sit determinatum ex dispositione physica sibi inherenti ad motum sursum, vel ad motum deorsum, & tamen non sit determinatum, vt dextrorsum potius, quam vt sinistrorsum moueatur ex vi eiusdem huius dispositionis. Si enim corpori recens rarefactus, atque leui, ideòque iam determinato, vt feratur sursum, prout apparet in vapore, & flamma, occurrat impedimentum, quominus ascendere possit per lineam rectam, idemque impedimentum aequaliter se habeat ad quemlibet ex motibus obliquis, nulla profecto dabitur determinatio motus localis per vnam potius, quam per aliam lineam obliquam aequè distantem à recta. Nulla, inquam, dabitur determinatio ex vi causarum secundarum. Pertinebit igitur ad Deum, vt auctorem naturalem, determinatio, & directio eiusmodi motuum indifferenter exactorum per res creatas. Eiusmodi autem electione poterit easdem causas, seu nocentes, seu fauorabiles applicare, cui volet, & remouere, à quo volet, facta comparatione inter eos, qui subsunt diuersis illis lineis obliqui motus, & consequenter sunt aequè expositi omnibus aliis & motibus, & effectibus earundem, aliarumque deinde plurium causarum, qui considerari facile possunt prouenturi ex prima illa electione libera motus, cum propagatione propè infinita effectuum inaequalium respectu diuersorum indiuiduorum, vt patet inter alia ex fulminis, aut etiam paruae scintillae directione in vnum potius locum, quam in alium.

Art. 6. Quia verò irrequietus motus spirituum vitalium, aliorumque humorum intra ipsum hominem existens cum multiplici impedimento ex interiectis aliis humoribus, aliisque dispositionibus physicis, quominus peragatur motus rectus, & cum expeditione aequali multiplicitis motus obliqui, necesse est, vt hinc etiam suppetat Deo, tamquam auctori naturali, materia multiplex beneficiorum specialium, erga vnumquemque, directis illis motibus pro arbitrio, per se, vel per Angelos, prout confert ad maius bonum physicum, & morale cuiusque; vel secus. Vtiliter itaque funduntur preces ad Deum, vt auctorem naturalem; vt videlicet, vertat in utilitatem orantis motus locales, ad quos agentia naturalia sunt ex se, & ex omnibus circumstantiis creatis omnino

indifferentia; cum tamen sint determinata ex se, vt versus aliquam tandem partem moueantur.

Art. 7. Ex dictis colligi obiter potest, in quo differant fortunati ab infortunatis, & quid ipsa fortuna sit. Philosophus diu multumque quaesiuit haesitante de hac re, oppressus difficultate coniciendi quidditatem fortunae. Quam suam haesitationem praecipue declarat lib. 7. Ethic. ad Eudemum, vbi concludit fortunam nec intellectum videri, nec opus intellectus, quia stolidis plerumque arridet; nec naturam, quia fortuna fauet aequalibus inaequaliter; cum natura aequaliter feratur ad aequalia; nec Deum, quia homines nequam, ac scelerati prospera non raro fortuna potiuntur, cum Deus probitati praefere nequitiam nequaquam possit. Dicendum verò est prosperam fortunam actiue sumptam, esse prouidentiam Dei specialiter gratiosam intra limites naturae, vt nuper expositum est; neque quidquam aliud sensu vero, & catholico dici, aut esse posse fortunam. Quia omnia, praeter peccata, existunt auctore Deo, omniaque substanti iustissimis prouidentiae supremae legibus; nec est vlla alia origo vllius boni, aut vniuersalis, aut specialis, non trahens inde primam suam originem discretiui cuiusque à ceteris, quoad minima, maxima, & media, absque vlla exceptione. Hoc solum est discrimen inter eas duas voces fortunae, & prouidentiae, iuxta communem illarum usum; nempe fortunam à vulgo, & profanis hominibus in bona temporalia, & sensibilia, atque extra nos posita praecipue intentis, frequentius usurpatam, accipi propterea communiter pro ea causarum dispositione, vi quam contingit alicui, vt praemineat aliis eiusmodi bonorum copia; prouidentiam verò Dei specialiter gratiosam, Theologis maxime, ac piis viris familiarem, accommodari plerumque earum, vel maxime causarum dispositioni significandae, ex quibus proueniunt cogitationes, & complacentiae efficacius permouentes, & frequentius actu pertrahentes ad opera honesta, conducentia ad finem vltimum hominis consequendum, quo quisque solo simpliciter, & plenè fortunatus euadit.

Artic. 8. Ab hoc eodem, apud disparis adeò conditionis homines, magis familiari vtriusque vocis usu, alia praeterea redundauit inter vtramque differentia. Nimirum fortunam accipi saepe pro ipso bonorum sensibilibum cumulo, quo quisque est fortunatus in se immediatè; saepius pro causis creatis proximis, atque opportunitatibus illorum bonorum; rarer pro prima eorundem origine existenti intra Deum. Prouidentiam è contra specialem, seu specialiter gratiosam accipi, vt plurimum pro actibus intellectus, & voluntatis Diuinae, quibus destinantur maiora bona alicui indiuiduo, quam aliis eiusdem speciei; rarius verò pro causis creatis proximis eiusmodi bonorum, aut pro ipsis bonis. Itaque fortuna est prouidentia specialis, seu specialiter gratiosa passiuè sumpta; & haec prouidentia est fortuna actiue sumpta iuxta solemnem, magisque communem vtriusque vocis usum. Ceterum si vtraque actiue, vel vtraque passiuè sumatur, distinguuntur, vt pars, & totum, ex communiori hominum apprehensione. Quia fortuna solam complectitur praerogatiuam, quoad bona temporalia, & sensibilia; prouidentia, quoad omnia, & quaelibet bona. Rursus, si fortuna dicamus respectu habito ad ea omnia bona, quibus aliquem vnum contingit vtrumque praeminere aliis, & bene in se habere specialiter; nihil illa differt re ipsa à prouidentia Dei speciali, seu specialiter gratiosa, quam exposuimus ex sensu communi Theologorum, quoad substantiam, & quoad modum, ex principiis, quae eidem communi sensui existimamus esse conformia, suntque eodem proportionaliter

cionaliter modo traducenda ad providentiam supernaturalem Dei ordinariam, vt infra patebit.

Art. 9. Ex asserta reali indistinctione providentiae Dei specialiter gratiosae à fortuna, iuxta legitimam huius vocis significationem, deducitur ratio à priori, qua nititur inconstancia fortunae, querulis adeo mortalium vocibus incautè, ac iniuste vexata. Ratio autem est, quia, quoddam bonorum copia, solo causarum naturalium occurfu, & concursu parta, quidam praemineant, accidere nequit absque aequali aliorum iactura. Causae namque naturales, vt patet in sole, & aliis quibuscumque, non possunt ubique eadem, aut eodem modo adesse, ac proinde nec aequaliter operari. Quapropter necesse est, vt existente alicubi propitio, quoad aliquem effectum, aut effectus aliquos, causarum occurfu, existat alibi causa inducens tantundem nocuenti in eodem genere. Imò aliqua bonorum genera, vt dominatio, suapte natura hoc habent, vt non possint omnibus, aut etiam pluribus simul adesse. Deus autem, vt auctor vniuersalis omnium, qui diligit omnia, quae sunt, & nil odit eorum, quae fecit, exercet providentiam similiter vniuersalem, & prospicientem commodis omnium. Vnde, quibus, causas aliquorum bonorum specialiter providet pro aliquo tempore, aliorum bonorum causas, vt in alios ea traducat, eodem tempore subtrahit. Imò, & vicissitudine eorundem bonorum, & causarum plures ob eundem finem plerumque perueniunt diuersis temporibus. Iis autem, quibus rariùs confert vniuniformem in vita mortali, vel prosperitatem, vel aduersitatem, referuat compensationem post hanc vitam iuxta vsus bonos, vel malos, quibus vnusquisque praebet ante mortem, vt indicatum est quæst. 26. Quo satisfit rationi dubitandi superius attacke ex Philosopho, cui perperam visum est Deum praelaturum esse absolute pessimis optimis, si eius voluntate, & providentia evaderent homines fortunati, & infelices, quoad bona temporalia; quandoquidem eo ipso quoddam temporalia sunt, minima bona sunt; ideoque praelatio simpliciter talis debet attendi quoad bona aeterna, & mansura sine fine, eorumque iacturam pariter aeternam. In hunc igitur modum est possibilis, & datur in Deo providentia specialiter gratiosa erga aliquos intra limites naturae, & propria auctoris purè naturalis.

Ad 1. Doctrina illa D. Thomae accipienda est de iis, quae consequuntur in vnoquoque ad rationem eius specificam, quae ab aliis communiter intelligitur nomine naturae, qualia sunt in igne calor, humiditas in aqua, & similia. Ceterum quo ad ea, quae non possunt inesse omnibus indiuiduis, aut non possunt aequaliter inesse; possunt verò inesse aliquibus, aut inaequaliter omnibus, non datur ea ratio iniustitiae, aut alterius cuiusquam absurditatis, si quibusdam specialiter conferantur, aliisque negentur, vel inaequaliter aliis atque aliis, conferantur.

Ad 2. Dicitur similiter Deum vnicuique conferre, quod est optimum inter ea, quae vnumquodque exigit determinatè ex conditione suae naturae, & ex dispositione conueniente sibi secundum se praecise; sed superesse nihilominus, locum speciali beneficentiae naturali, quoad aliquos effectus ex speciali delectu loci, & temporis, quorum exigentia, & appetitus omnino determinatus nulli substantiae conuenit, & à quorum determinatione pendet determinatio plurium aliorum bonorum respectu cuiusque.

Ad 3. Proprietates, quae dicuntur naturales, exiunt determinatè ab vnoquoque indiuiduo, ideoque proprietates dicuntur. Sunt autem alia plura bona naturalia, quae similiter debentur speciei, seu vagè, & indeterminatè aliquibus indiuiduis, sub vnaquaque specie contentis; non tamen debentur

similiter omnibus indiuiduis speciei, vt apparet ex rationibus, & exemplis superius propositis. Eiusmodi igitur bona, quatenus determinatè debentur alicui speciei substantiarum naturalium, differunt à donis supernaturalibus, quae superant proportionem, & appetitum innatum totius speciei, vt exponitur accuratè quæst. 6. de Gratia, idque solum intendit D. Thomas, dum, respectu donorum supernaturalium, negat omne debitum. Nec enim est omnino indebitum, quod debetur saltem vagè. Quatenus verò eadem bona non sunt determinatè debita vnicuique indiuiduo, sunt idonea materia specialis beneficentiae, & providentiae specialiter gratiosae erga eos, quibus conferuntur defacto, dispositione causarum secundarum eatenus specialiter prouisa per liberam electionem loci, & temporis, tam respectu earum causarum, quam respectu eorum subiectorum, modo dicto.



QVÆSTIO XXX.

Vtrum prædestinatio ad gloriam sit efficaciter prædestinitiva meritorum?



VIDETUR non esse efficaciter prædestinitiva meritorum, saltem formaliter, quatenus prædestinatio est ad gloriam. 1. Quia, vt dicit Damascenus l. 2. Orth. fidei: cap. 30. initio; *Isud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea etiam, quae in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt; & non item ea præfini.* Merita autem, atque consequutio gloriæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt, præsuppositis auxiliis gratiae Dei. Ergo non datur in Deo prædestinatio prædestinitiva eorum.

2. Prædestinatio est pars subiectiva providentiae: Providentia autem consistit formaliter in actu intellectus, vt dictum est quæst. 26. cum D. Thoma, & aliis. Ergo non est de conceptu formali prædestinationis voluntas prædestinitiva meritorum.

3. Omnia creata ordinantur à Deo ad suos fines non minus, quam homines, & Angeli. Cetera autem, vt plantae, & bruta, non dicuntur prædestinari à Deo; tamen si dependeant à voluntate prædestinitivae Dei, & præordinativae ad suos fines. Ergo nec Angeli, & homines dicendi sunt prædestinari ad gloriam, quae est eorum finis, sed solum præordinari ad illam simul cum meritis, quae habent rationem medij.

4. Præhabita scientia media de euentu futuro sub vnoquoque auxilio gratiae Dei, & superaddita electione eorum determinatè auxiliorum, quae præuisa sunt futura efficacia, si conferantur, ad perleuantiam finalem in gratia, & consequenter ad obitandam vitam aeternam; eo ipso redditur infallibilis consequutio gloriæ, necnon specialiter benefica collatio eorum auxiliorum. Ergo neque ad certitudinem prædestinationis, neque ad specialem beneficentiam Dei, vel erga prædestinatos, vel erga reliquos bene operantes, quatenus bene operantes, requiritur vltèrius, aut prædiffinitio efficax meritorum formaliter talis, aut formalis electio præordinatorum ad gloriam. Neutra igitur villo ex capite necessaria est. Et aliundè vtriusque exclusio est necessaria; certè est longè expeditior ad saluandam indifferentiam arbitrij creati. Neutra igitur est admittenda in Deo.

Art. 1. Respondetur. Considerationi providentiae

Dei